13 4.

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimo-tertio mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LV.

M. GASPARDO COCHON DUPUY, Regis Consiliario, & in Arce Maritimâ Rupifortensi, Anatomes & Chirurgiæ Professore Regio, Doctore Medico, Præside.

An Diversis Temperamentis diversus rerum non naturalium usus?

I.



ER ubiquè circumfusus non paucas alterationes à cœlo, anni tempestate, solo, mari, paludibus, fluminibus, meteoris, exhalationibus mutuatur. Hinc æstuans, frigidus, gravis, siccus, levis, humidus & inquinatus evadit, pro ut una aut altera ex causis eum immutantibus operatur. Obnoxium tot vicissitudinibus fluidum illud necessariò corpora ambiens, eadem multifariàm afficit. Edulia ex cerealibus, oleribus, leguminibus, avium familiâ, quadrupedum grege, piscibus maritimis, fluviatilibus, paludosis deprompta, variis condimentis referta, variâ arte parata apponuntur; ex his quædam digestionis vices facilè patiuntur & nutritionis munia liberaliter adimplent, dum quædam organis & succis digestivis reluctantia, operosiùs fluidis & solidis assimilantur; alia liquorum consistentiam adaugent & vasorum texturam refocillant, alia fluidorum motum & solidorum elaterem intendunt, alia humorum moleculas tenuiores & vasa obsequiosiora conciliant. Aquæ pondere, munditie, miasmatibus heterogeneis in suo sinu reconditis inter se dispares, succi ex uvis & fructibus expressi, cerevisiæ, liquores ardentes potulentorum fundunt latices eò dissimiliores in corporibus præstituros effectus, quò dissimilioribus scatent dotibus. Vigiliâ & motu tenduntur solida, atteruntur, tumultuariè agitantur fluida, horum pars tenuior dissipatur, avolat. Somno & quiete solidorum compages relaxatur, fluidorum motus tùm progressivus tùm intestinus æquabiliter peragitur, omnium reparatio perficitur. Ira, furor corpus excruciant, vesanus amor interdùm corporis molem summoperè movet, aliàs hanc inertem tenet, spes, desideria reciprocam fluidorum & solidorum actionem promovent, mæstitia, timor humorum suffocant circuitum, meditatio diuturnior & pervicax nervos ad spasmum ducit, animi torpor & segnities, corporis easdem affectiones trahunt. Excretiones oris, narium, cutis & alvi providæ naturæ beneficio superflua, corpori nocitura amandant; sed haud infrequenter malè-suadâ arte, sanitati essentialia, retinenda absumunt, quod quidem non pauci proprio marte nares & os nicotianæ usu irritantes aut evacuationes alias sollicitantes experiuntur.

Hæc omnia vitæ pabula, rerum non naturalium conſtituunt claſſes quarum quævis diverſiſſima, planè oppoſita continet; attamen his omnibus abſque ſalutari delectu obtemperant homines; hinc morborum cohors quæ ſanè non debaccharetur, ſi unuſquiſquè pro ut ſua poſtulat conſtitutio, res non naturales adhiberet.

I I.

TEMPERAMENTUM quodlibet ad vitioſum propendet exceſſum quem antiquiores intemperiem dixere. Ea etenim eſt ſors ſtructuræ humanæ ut ſe ipſam deſtruat; quod ut præcraſtinetur quantum hygieinem penes eſt, cautiſſimè perpendendum quodnam in quâvis conſtitutione immineat vitium. Hâc in ſcrutatione Halleri veſtigiis non inſiſtendum; præſtantiſſimus Autor (a) accuratè minùs vitæ propriis viribus labantis cauſas aſſignat, in medium proferens vitam reciprocâ ſolidorum & fluidorum attritione deſtrui. Adverſatur hujus ſententiæ, ſenio confectorum obſervatio, quâ conſtat ſolida & fluida in illis longè craſſiora quam in pueris & adultis supereſſe. Verùm jam propugnatum fuit noſtrâ Theſi Phyſiologicâ, humores in conſtitutione ſanguineâ tenuiſſimos permeare ſolida gracilia & maximè pervia. In phlegmaticâ conſtitutione fluida ſpiſſa, malè mixta, ſeri & pinguedinis molem ſtagnare intra vaſa debilia & laxa. In conſtitutionibus bilioſis & melancholicis ſanguinem coagmentari moleculis, craſſis, duris, compactis minima per vaſa rigida vix ac ne vix quidem meabilem, nervos in iiſdem conſtitutionibus ſummoperè tendi. Porrò haud perarduum aſſignare labes ad quas nituntur ſupra laudatæ conſtitutiones ſimplices. Si quidem in conſtitutione ſanguineâ humorum tenuitas eorumdem diſſolutionem minitatur & ſolidorum gracilitas eorum rupturam portendit, indè hæmorragiæ, inflammationes hanc conſtitutionem non rarò divexant. Fluidorum ſpiſſitudo, ſeri exuperantia, ſolidorum laxitas obſtructiones, hydropes in phlegmaticis pertimeſcendas nunciant. Bilioſi & melancholici ad paſſionem hypochondriacam, maraſmum proclives propter nervorum tenſionem, vaſorum rigiditatem & fluidorum molecularum craſſitiem præjudicantur. In conſtitutionibus compoſitis una ex prædictis ſimplicibus dominium tenet, idcircò ad illam attendendo aliis tamen non contemptis levi operâ patefiet quid mali ſit in procinctu.

(a) Haller. not. § 111.

I I I.

VARIIS conſtitutionibus impendentes morbos remediorum triplici farragine removere non tentandum; quoniam etenim minitans cauſa continuò afficiat, remedia continuò uſurpanda venirent, ideò vita jugiter amaritudine & doloribus flagraretur, & ex eo quod remedia functiones pertubent, morbus cum ſanitate vices alternas ageret. Idcircò nequaquàm ſaluti conſulunt qui variis appetitibus impunè ſervire, & ſanitatem tueri exiſtimant, modò ipſis diæta, purgationes, ſtomachica, venæ-ſectiones in præſtò ſint. Reapsè diæta poſt nimias ingurgitationes, à graviſſimis morbis helluones arcet, aut ipſis ſavet ut opiparis epulis voraciùs accumbant; at verò viciſſitudinibus tam adverſis admodum patitur natura. Stomachica digeſtiones accelerant, appetitum erigunt, ſuccorum gaſtricorum ſecretionem adaugent, at lapſu temporis plethoram acceſſunt, humorum acrimoniam inducunt. Purgationes & venæ-ſectiones quas quidam, indicatione nulla jubente, ſed proſpicienter, inquiunt, ſibi celebrandas amant, non rarò ſanitatem ſummoperè lædunt. Ergò medicamina, tanquam anchora ſacra, ad vitam contrà morborum procellas fulciendam recondantur, & ſanitatis tutamina ex puris fontibus qui amœnitate oblectent & utilitate alliciant, hauriantur. Summa hæc bona ex aeris, cibi & potûs delectu, motûs & quietis, ſomni & vigiliæ diſpenſatione conſentaneâ, turbulentorum animi pathematum compreſſione, excernendorum evacuatione, & retinendorum cuſtodiâ percipientur. His enim cuilibet conſtitutioni congruè adhibitis, humores tenues nexum intimiorem adipiſcentur, fibræ graciles, craſſiores evadent,

fluida ſpiſſa attenuabuntur & fluxiliora fient, vaſa debilia & laxa robore & elaſticitate micabunt, fluidorum moleculæ duræ & craſſiores molleſcent & minuentur, nervi nimiùm tenſi & ſolida rigidiora relaxabuntur, digeſtiones pro votis ſuccedent, omnes functiones facilè, conſtanter, lætè peragentur. Unde inflammationes, hæmorragiæ, obſtructiones, hydropes, hypochondriacæ & hyſtericæ paſſiones, febres intermittentes, putridæ, malignæ prævertentur & omnium ferè morborum adventitiorum caterva procul amovebitur, & conſequenter vita ſanitate pollens neſtoreos annos tranſcendet.

I V.

RECENSITIS variis imò oppoſitis dotibus quæ varias conſtitutiones compingunt, eaſque varia in pericula mittunt; aſſignatis rebus ſanitati ſuſtentandæ neceſſariis quæ ſuâ diverſitate corpora diverſimodè afficiunt, hanc conſtitutionem ſanam foveri, cui res non naturales adhibentur, quarum energiâ fluidis & ſolidis impendentia vitia longè ſubmota arcentur, cuinam perſpicuum non eſt? Optata hæc meta non attingetur niſi applicatione therapeutici axiomatis, *contraria contrariis tolluntur*, quod etiam hygieinem decet. Hoc criterio, cuilibet conſtitutioni conſentaneus rerum non naturalium uſus præſcribendus, quantùm arcti Theſeos ſinunt cancelli.

Sedem ac domum ſub cœlo puro, temperato ſibi deligant ſanguinei, veſcantur alimentis craſſiori ſucco donatis, idcirco bovillis carnibus, vervecinis, ſuillis, leporibus, columbis, anatibus & aliis carnibus nigris, vulgò, aſſatis & elixis indulgeant; ova, legumina, piſces maritimos & fluviatiles, oleo, aceto, ſale pauco conditos comedant, olera quæ perſpirationem aut diureſim augent, aſparagos, v. g. cinaræ capita, apium, chærephyllum, ſcorzoneram, cichorium amarum non frequenter uſurpent, fercula ipſis appoſita condimentis acribus qualia ſunt tubera, fungi, cariophyllum, cappares, cinamomum nux moſchata, &c. nunquàm ornentur; modicè vinum nunquàm merum epotent; corpore moveantur; crebrò reputent; caveant ne algido frigore cohibeatur perſpiratio, nec æſtuanti calore, vigiliis, laboribus immodicis retinenda abſumantur. Hoc vitæ genere humores conſiſtentiam quæ nullas diſſolutiones pertimeſcendas invehet, adipiſcentur, ſolida craſſitiem quâ humorum impetui abſque rupturâ obſiſtant ſibi parabunt, & ipſi ſanguinei minùs petulantes, memoriâ firmiori & judicio exquiſitiori inſignientur.

Aere ſicco gravi & calido afficiantur phlegmatici, cibos moleculis actuoſis divites aſſumant. His dotibus carnes vervecinæ, galli, gallinæ, capones haud ſaginati, annoſæ perdices exornantur, carnes aſſatas & condimentis acribus, non infrequenter refertas eligant, legumina, olera refrigerantia & incraſſantia linquant, ut incaleſcentibus & attenuantibus indulgeant, piſces ſalſos, vino coctos nec oleoſis, nec acidis, verum aromatibus conditos edant; raròbibant at merum, à prandio coffeam hauriant, liquores ardentes non ſemper reſpuant; ambulatione, curſu, venationibus ducantur, litteris aſſideant; ſomno & quieti non molliùs cedant; narium & oris ſecretiones tabaco promoveant. His omnibus humores commoti attenuantur, luxurians ſerum in auras urgetur, vaſorum elaſticitas & robur exſurgunt. Undè pinguitudine non laborabunt, illorum viſcera glutinoſis non intumeſcent, ſeroſa colluvies cavitates non diſtendet, verùm robuſtiores, alacriores phlegmatici corporis & ingenii exercitiis aptiores eluceſcent.

Levis aer nec æſtuans, nec frigidus quem flumina limpida nebulis imprægnant, macilentis, rigidis bilioſis & melancholicis favet; vitulinis carnibus, agninis, pullis, coturnicibus, ruſticulis, phaſianis, ſilvaticis gallinis junioribus, lautis aviculis decoratâ illorum menſâ reficiuntur, ova ſorbilia, lacticinia, olera refrigerantia,

relaxantia, edulcorantia, in illis optatos effectus præſtant; quantùm bilioſis & melancholicis vina generoſa, liquores ardentes, coffea, chocolata, tabacum, condimenta acria nocerent, tantùm ipſis largus aquæ pauciſſimo vino tinctæ potus, cereviſiæ molles, balneationes ſerum ſuppeditantes, ſanguinis moleculas ſolventes, vaſorum criſpaturas tollentes, & acidula condimenta humorum rarefactiones, alkaleſcentias ſuffocantia proſunt; fabulæ hilares, nugæ, comica, eos è ſeveris meditationibus eximunt; equitatio, vectio in rhedâ, ambulatio, litterarum ſtudia intermittendo, eoſdem ad quietis & ſomni blanditias alliciunt.

Conſtitutiones compoſitæ triplici victûs ratione præſcriptâ, modò huic quam ad conſtitutionem in ipſis dominium tenentem attinet magis indulgeant, optimè ſe habebunt.

V.

CIRCA res non naturales variis conſtitutionibus impoſitæ leges, ipſas tam accurant, ut non modo ſolida & liquida reſarciant, verùm labes ipſis impendentes avertant, ut jam evictum, imò humorum craſim & vaſorum indolem immutare pares ſint, ita ut una conſtitutio iis obtemperans in oppoſitam transfigurari queat, quod ſi optandum, fiat, ſin minùs, imminenti conſtitutioni res idoneæ adhibeantur. At verò nova vitæ norma ſubitò non inſtituatur, etenim ſanitatem ſubvertit victûs immutatio ſubita, *licet ex malis vulgo habitis in bona putata tranſierit*, ut obſervavit Boerhaavius qui ideò conſuetudinem non malè alteram naturam cognominari fatetur. Noto conſuetudinis vinculo ſi quis, non infrequenter contingit, rebus ipſi pernicioſis aſſuetus comperiatur; ſenſim & ſine ſenſu à prava conſuetudine deflectat, ut conſtitutio ipſius ſupra præſcriptis, non ſecus ac ab ætate & ſexu juſſis, nec non iis, quæ dum de anni tempeſtalibus obſervanda commendat illuſtriſſimus Decanus (*a*), feliciùs obtemperet.

(*a*) D. J. B. Chomel. queſt. Cardin. *An hygieine, pars Medicinæ utiliſſima deſertiſſima?* ann. 1743.

Paſſim plurimos apud autores, & cœli, & alimentorum potulentorumque, & corporis ac animi exercitiorum mutatione ſæpiſſimè ſanitatem valentiorem fieri obvium eſt. Aſt velut ſpectatores otioſi illorum phænomenon cauſas haud inquirentes eas ſilentio habent. Hæc attamen non ſupra intellectum inter abſtruſiſſima naturæ latitant; illorum dilucidatio fluit ex rebus non naturalibus notis & conſtitutionum theoriâ; ſi quidem cœli mutatione magis ac magis viget ſanitas, quotieſcumque ſedem commutans in aerem ejus conſtitutioni magis faventem prodit; alimentorum & potulentorum mutationes in conſtitutionibus compoſitis neceſſariæ ſunt, & in ſimplicibus ſalutares, ubi his noxia paulatim deſeruntur ut proſpicientia comparentur; bilioſi præſertim & melancholici in quibus objectorum variatio fibrarum nervearum tenſionem minuit, animi & corporis exercitiorum mutatione recreantur, hilares enim evadunt ſi ſepoſitis litteris, meditationibus, curis, venationes, ludos inſequantur. Hæc ab autoribus relata, obſervationes ſtant eò magis candidæ quò obſervatores nullâ hypotheſes fingendi libidine correpti obmutuerunt, & quoniam ſententiæ expoſitæ admodum conſona, concluſionem inconcuſſam figunt.

Ergò Diverſis Temperamentis diverſus rerum non naturalium uſus.

Proponebat Pariſiis CLERIADUS VACHIER, Cluniacenſis, Doctor Medicus Monſpelienſis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Autor, 1755, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Pariſ. Typog. 1755.